



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 66. Turcæ apud Petro - Varadinum ad interneccionem ab Eugenio
Principe deleti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

publica, Italia & totus ferme Orbis Sæc. XVIII.
 Christianus conceperit lætitiæ sensum: A. C. 1716.
 festivis præprimis plausibus tripudia-
 bat Roma, quam Marchio de Lange-
 rie & Comes de Linange ambo Galli
 post expugnatam Corcyram Turcarum
 ope subjugare moliebantur, qui tamen
 detecta conspiratione capti Viennam
 abducti fuere, eodemque tempore py-
 ratica Tunetanorum navis, quæ jam-
 jam Pontificii maris oras infestabat,
 ab Etruscis capta ad Portum Cen-
 tum Cellas abducta est. Percepta suo-
 rum clade & probrosa Architalassi fuga
 Byzantini cives tam impotenti rabie
 exarserunt, ut ejus domumpenitus ex-
 pilatam igne everterent, ipsum quoque
 Achmetem III. Sultanum strangulaturi,
 nisi mox quatuor Bassas, qui bellum
 in Christianos suaserant, laqueo su-
 stulisset.

§. LXVI.

*Turcæ apud Petro - Varadinum ad
 interneccionem deleti.*

Reportata hac victoria Schullenbur- Hist. Cont.
 gius Butrintum, & Insulam S. Mau- Chron. l. 16.
 ræ continuata armorum felicitate oc-
 cupavit, & Morlacci in Dalmatia Tur-
 cis iteratam cladem & immensum dam-
 num intulere. Ad hanc belli prosperi-
 tatem

A a 5

tatem

Sæc. XVIII. tatem haud parum contulit celeberrima victoria, quam Cæsarei de Turcis in Hungaria jam antea reportaverant; cum enim Hali Vezirius cum exercitu ducenties mille armatis valido Ratiche in Sclavonia prope Savum contra Carolovitzienne pactum aggeres extrui juberet, Princeps Eugenius, cui supremum Cæsarei exercitus imperium erat demandatum, totus ad castra sua disponenda incubuit; Imperator vero die undecima Julii Deum armis suis propitium reddere intentus, Viennæ solemnem supplicationem decrevit ad Metropolitanam Ecclesiam, in qua Comes de Colonitsch recens electus Viennensis Episcopus Rem Divinam solemniter peregit. Dies erat secunda Augusti, qua Joannes Comes de Palfi, postquam Langletus Ratscham, & Lesselholzianus Mitrovitzianenses fauces occupaverant, cum quatuor millibus hostium castra explorare jussus, a viginti Turcarum millibus cingeretur: Hic vero veteranae virtutis suæ haud oblitus, & saltem fortiter pugnando moriendi desiderio incitatus, partitis copiis tam strenue Turcas multiplices simul impressione invadit, ut perturbatis primis ordinibus, ceterisque mox confusis, hostem potius virtutis admiratione attonitum, quam roboris terrore perculsum postquam

quatuor horarum certamen in fugam Sæc. XVIII.
 ageret: æquata utrinque erat militum A. C. 1716.
 jactura, Comes tamen Seifridus Breu-
 nerus ab equo delapsus, captusque
 ad Vezirium raptabatur, cujus jussu
 vinculis & catenis onustus post interne-
 cinæ cladis nuntium misere jugula-
 tus est. Inter hæc Turcæ dejecto Da-
 nubii ponte novo Savum junxere, ac
 pro more hujus gentis quidam Syco-
 phanta gladium evaginatum manu te-
 nens implorato Dei, sui que Mahometis
 auxilio Christianis omne malum, extre-
 mumque excidium imprecat, per om-
 nia Regna indicto universali jejunio fre-
 quentissimam aliquot millium hominum
 se cultris & flagellis cædentium sup-
 plicationem indixit. His peractis Ve-
 zirius cum suo exercitu Belgradum
 contendit, atque emissis aliquot legio-
 nibus in Croatiam versus Castanowi-
 zam omnia circumquaque oppida &
 pagos devastando, ingentemque ho-
 minum multitudinem abstrahendo e-
 mensus est: demum trajecto Savo exer-
 citum die secunda Augusti Carlovit-
 zium transtulit, & direpto illoco altera
 die cum copiis suis ad Cæsaris castra
 prope Futacum movens, belli tormentis
 illa verberare cæpit, missisque literis
 extremam minitatus est interneccionem,
 nisi Leffelholtzius ante omnem tormenti
 explo-

Sæc. XVIII. A. C. 1716 explosionem Petro-Varadinum Urbem dederet: Verum Eugenius Princeps, qui jam pridie cum toto exercitu Danubium trajecerat, cras se hac de re acturum respondit: mox autem habito belli Senatu hostem ad prælium provocare, eumque ex munitissimis suis aggeribus prolectare decrevit. Ergo die quinta ejusdem Mensis hora septima matutina Alexander Princeps Wirtembergicus dexteram decem agminum alam educens, Janisaros in colle adoritur, cædit, in fugam agit, & decem belli tormentis captis, inque fugitivos conversis ingentem stragem edit, quo comperto mox Eugenius cum sinistra ala acri impetu in hostem invehitur, superatisque Turcarum fossis Janisaros sua statione propellit: Ast hi ipsi resumptis viribus in Cæsareos pedites laxatis habenis irruunt, atque ad primam munitionem repellunt: cumque fugientes sinistram quoque alam parafato involverent, Turcæ animosiores facti ipsam munitionem aggrediuntur, & Christianos inde depulsos, ad alterum munimentum profugere compellunt: incassum Bonevallus, Lanckenus & Wallensteinus suorum fugam sistere, minis & precibus tentant, trucidatis tamen Lanckeno & Wallensteinio solus Bonevallus cum suorum ducem

ducentis hosti se objecit, ac incredibili virtute per dimidiam horam Turcarum impetum sustinens, per medias hostium phalanges pugnando recessit, & amissis aliis decem gregariis cum quindecim residuis ad castra contendit, ubi tamen hastæ ictu percussus corruit, moxque resumptis viribus surgens suum percussorem trucidavit. Actum jam de Christiani exercitus salute videbatur, cum peropportune adest Eugenius, qui dexteræ alæ equitatum in sinistræ opem submittens, peditatum verbo & exemplo erigit, ac cum tribus dumtaxat legionibus in campum utriusque munito interjacentem effunditur, & Janissaros obruit, opprimit, fossisque eicit: Tandem Janissaros alterum munitum occupare intentos aperto latere cum suo equitatu aggreditur, obvios equorum pedibus conterit, ruptisque ordinibus ceteros in turpem fugam conjicit. Prospero hoc successu pedites prius ad extrema redacti, quorum ignaviam necessitas acuit, & desperatio spei causa exstitit, animos resumunt, ac rursus in aciem reducuntur, accedit quoque agmen ad subitos belli casus reservatum, tantaque nocendi aviditate belli tormenta in hostem undique cinctum detonant, ut barbari opis & consilii inopes, qua cui-
que

Sæc. XVIII.
A. C. 1716.

Sæc. XVIII que patebat ad fugam via, erumpunt,
 A. C. 1716. alii qua rectum iter ad suas munitiones
 ducebat, vitæ asylum quærentes, in-
 sequentium gladiis trucidati mortis tu-
 mulum reperiunt, quidam ad saltus fu-
 gam intendunt, a victoribus tamen
 velut feræ sylvestres glandibus trajecti
 pereunt: potissimi vero Vezirii castra
 petunt. Tum vero non jam pugna,
 sed cædes erat; Turcæ enim inter spem
 & desperationem hæsitantes, horrendo
 ullulatu & incondito clamore mane pu-
 gnâ instaurare, nunc laxatis ordini-
 bus ad agmina a ceteris abrupta per-
 fugere contendunt; cum vero a fronte
 & a tergo victorem militem instare ce-
 nerent, rupta carragine, castrisque re-
 lictis, tormentis & impedimentis om-
 nibus in fugam una omnes effusi sunt.
 Cecidere in hoc prælio, quod quinque
 horas tenuit, præter supremum Vezir-
 rium, Janissarorum Agam, Bassam
 Mahometum aliosque primæ dignita-
 tis Duces, Janissarorum plusquam tri-
 ginta millia, præter quamplurimos,
 qui victore insequente in flumen sese
 præcipitarunt, aut Belgradum pro-
 fugi ex vulneribus periere. Cæsareo-
 rum quatuor millia quadringenti duo-
 decim desiderati sunt: Capta fuere cen-
 tum sexaginta quatuor tormenta, cum
 ingenti belli apparatu, centum quin-
 qua-

quaginta vexilla, quinque Equorum caudæ, & sex tympana, quæ omnia Sæc. XVIII. A. C. 1716. Viennam transmissa in Templo S. Stephani appensa fuere: cetera omnia Eugenius Princeps, sibi reservato duntaxat Vezirii tentorio, victori militi in prædam reliquit, quæ tamen adeo abundans erat, ut milites magis partis frui vellent, quam acquirendis fatigari. Tristissimum autem Eugenio Principi spectaculum erat, cum penes Vezirii tentorium aliquot Christianorum capita palis infixæ, & generosum Comitem Seifridum de Breunner in calente adhuc sanguine suo exanimem cerneret; hos omnes honorifice sepeliri iussit Eugenius, missoque Viennam Comite de Zeill suo Centurione Imperatorem de tota hujus victoriæ serie certiozem reddidit: Hic vero Eugenium immensis laudibus, honoribusque cumulans, datis literis per Cardinalem de Schrattenbach summo Pontifici faustissimum hunc Nuntium communicavit, qui etiam die secunda Septembris habito Purpuratorum Senatu hanc victoriam eo potissimum nomine celebrabat, eo quod ea die, in quam anniversaria dedicationis liberianæ Basilicæ memoria recurrebat, parta fuisset. Turcica vero signa, quæ Imperator veluti victoriæ præmissa De Vitis tVrClis Romam submisit, in eadem
Basi-

Sæc. XVIII. Basilica affigi jussit, ac tandem E-
A. C. 1716. genium dignis laudibus ornatum, pi-
 leo & Ense solemnî ritu benedicto, qui-
 bus Prædecessores interdum præclaros
 fidei Assertores insignire consueverant,
 donavit, & per Rasponium Equitem
 submitit, ac die septima ejusdem Men-
 sis has ad eum dedit literas:

*Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem
 & Apostolicam Benedictionem.*

„Firmam constantemque Fiduciam,
 tametsi maximam, quam in perspecta
 tua virtute ac fortitudine reposuerat
 Christiana Respublica, adeo excedit
 præclara omne in ævum memoranda
 Nobilitate tua de Turcis nuperrime re-
 lata victoria, ut universi Christi fideles
 certatim effusas tibi laudes ubique tri-
 buant. Equidem innumeras Barbaro-
 rum copias ea felicitate ac celeritate
 fere ad interneccionem profugasti, ut
 celebris ille Romanorum ducis qui ve-
 nit, vidit, vicitque, gloriam æquasse
 videaris. Triumphas itaque & sane
 merito, non tam in excidio hostium,
 quam in amoribus gentium, & bene-
 dictionibus populorum, qui te barba-
 ricæ perfidiæ ac superbix domitorem,
 publicæ incolumitatis vindicem, ortho-
 doxæque Religionis Assertorem fortissi-
 mum

Sæc. XVIII.
A. C. 1716.

nam prædicantes, tuum nomen, antea quidem illustre & gloriosum, ad astra ferunt. Addimus & nos Fide- lium plausibus suffragium nostrum, ac insigne servatæ a gravissimo discrimine Christianæ rei beneficium, eximie vir- tuti, sapientiæque tuæ acceptum re- ferentes, amplissimam, quæ inde facta tibi est, immortalis honoris & meriti accessionem ex animo gratulamur. Cum autem derivata ex te in eandem Rem Christianam, quæ nos imprimis afficiunt, peculiare aliquod gratæ voluntatis Te- stimonium a nobis reposcant, mittimus nobilitati tuæ per dilectum filium Hora- tium Rasponium Equitem Hierosolymi- tanum, Familiarem nostrum, nobisque tum generis tum animi præstantia sum- mopere acceptum, Ensem & Pileum cælestibus benedictionibus large dita- tos, quibus prædecessores nostri Ro- mani Pontifices, strenuos atque præ- claros Christianæ Reipublicæ, sanctæ- que fidei propugnatores interdum de- corare consueverunt, ut ejusmodi sancti muneris inflammatus Misteriis gladio quidem circa femur tuum potentissime accingaris, Pileo vero, veluti Galea Salutis induaris, & ad infensissimorum Hostium superbiam confringendam in dies magis magisque inciteris, volu- mus autem, ut idem sacrum munus

Hist. Eccles. Tom. LXIX. B b per

Sæc. XVIII. per aliquem in Ecclesiastica dignitate
A. C. 1716. constitutum, ac, si fieri poterit, Episcopali caractere insignitum virum, peracto sacrosanctæ Missæ Sacrificio, rite, ac juxta consuetum morem tibi tradatur.,,

Insuper die decima tertia Septembris Cardinalis Schrattenbachius in Germanorum Ecclesia Romæ præsentissimo Pontifice solemnes celebravit gratiarum actiones, simulque apud PP. Carmelitas Discalceatos in Templo B. V. de Victoria, ubi imago B. V. in prælo Pragensi a V. P. Dominico a Jesu Maria prælata ob reportatam victoriam colitur, triduanæ preces cum indulgentiis & maximo populi concursu celebrabantur, & biduo post pro defunctis militibus institutæ sunt plurimum sacrificiorum exequiæ: Ceterum haud parvum ad communis lætitiæ complementum contulerat certamen, in quo eadem die Dettinus Bellidux ad Walachizæ fines Turcas profligavit, & Comes Roubata ad Parmam, Petraffus vero Perbienti quatuordecim barbaras Balthas Baschigi legiones contrivit, liberatis bis mille Christianis.